

ARS RHETORICA: DE STATIBVS

rannicida debet accipere'. a contrario: 'desertor capite puniatur; vir fortis praemium debet accipere'. a maiore ad minus: 'exulem intra terminos liceat occidere, utique et flagellare'. a minore ad maius: 'furem liceat verberari, latronem utique interfici'.

- 5 Haec sunt, quae de cognoscendis statibus insinuanda tibi existimavi. sed in his ille error non debet exsistere, quod plerumque in pragmatibus rationalium statuum multae leges inveniantur. quamvis enim ista sit pugna, tamen omnis lis atque contentio non ex legibus, sed ex ratione extrinsecus adposita consurgit, veluti 'fur quadruplum solvat, sacrilegus
10 capite puniatur: de templo qui privatam pecuniam sustulit, offert quadruplum, et petitur ad poenam'. hic quamquam duae leges positae sint, quaestio tamen non ex legibus nascitur, sed ex criminis proprietate, et fit status finitus, qui est unus, sicut retro didicisti, ex rationalibus statibus.
contra et legales quaestiones, quamvis multae extrinsecus rationales
15 altercationes admoveantur, pugnam tamen et contentionem ex ipsis legibus gerunt, ut 'vir fortis praemium petat: fortiter quidam fecit et petit mortem civis'. hic etsi ratiocinatio adhibetur extrinsecus, disceptatio tamen omnis [nominis] in legis voluntate consistit, et fit status scripti et voluntatis, qui est [et] unus ex legalibus statibus.
- 20 Post haec meminerimus alias esse controversias simplices, alias coniunctas: simplices <tres> status habere, id est aut 'non feci' aut 'non hoc feci' aut 'iure feci', et cetera; coniunctas vero totidem status plerumque recipere posse, quot sint crimina vel species, velut cum uni reo multa intenduntur, et aliud negat, aliud definit, aliud iure factum contendit, et
25 cetera, prout causa postulaverit. illud autem interest inter simplices et compositas controversias, quod compositae, sublata una re aut pluribus, manent tamen, simplicium omnis contentio contra unam rem consistit. et ideo cum inciderit composita causa, licebit eam sic tractare quasi plures causas.

30

DE DIVISIONE

Quoniam, quemadmodum possis dinoscere statum, plenissime tibi traditum est, protinus accepto themate cura perspicere, cuius quid sit status. habent enim singuli quandam ad dividendum regulam propriam, licet